Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26117
Copyright: Admont, Benediktinerstift

amminadab. ut dictum est, scilicet quattuor euangelia, propter quae conturbata est synagoge anima, quia animalis sensus eius multum cepit perturbari, quando per mundum audiuit euangelium Christi predicari. Sed in hac quadriga te uehebit, quando per euangelicam doctrinam ad fidem Christi perducet. Noua ergo sponsa presentiam regis ferre non ualuit, quae post multa probra morte turpissima eum damnauit, et ideo a facie eius abire cepit. Sed chorus reginarum et filiarum ierusalem reuocat eam dicens.

Hystoria

Reuertere reuertere sunamitis, reuertere reuertere, ut intueamur te. Scilicet synagoga postquam regem Christum occidit, sub eius dominio esse erubuit. Sed uox predicatorum reuocat eam dicens. Reuertere reuertere sunamitis.

N. Sunam

Sunam est ciuitas in qua heliseus mortuum suscitauit, et significat mundum in quo Christus suscitauit genus humanum. Sunam autem dicitur captiuitas. inde dicitur sunamitis captiua, et intelligitur synagoga a diabolo in perfidia captiua. Dicitur etiam sunamitis coccinea, quia sanguine Christi redempta. Huic dicitur a predicatoribus euangelii quater reuertere, scilicet a quattuor plagis mundi ab errore perfidie ad fidem Christi conuertere, uel reuertere ad redemptorem tuum te [illegible] uocantem, te suscipere uolentem in eum credendo, reuertere ad eum illum diligendo, reuertere ad eum precepta eius operando, reuertere ad eum promissam uitam ab eo sperando, ut intueamur te, id est ut imitemur te. Vel reuertere per quattuor euangelia, uel per quattuor uirtutes, ut conuersionem tuam intuentes laudemus